



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 25. Pacceci molimina ad impediendam Synodi translationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, octavo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno undecimo.

Sæc. XVI.

A.C. 1547.

§. XXV.

Pacceci molimina ad impediendam Synodi translationem.

Hoc Legatorum consilium de transferenda Synodo displicuit Pacceco Cardinali, minusque gratum habuit, quod hæc translatio ipso Pontificis diplomate firmaretur; quapropter ne & ipse hujus propositi particeps videretur, ita perorabat: *Quam indigne ferent Principes Religionis studiosi fructus ex tot laboribus expectati jacturam per eam intempestivam profectionem? quam communis universo Christiano generi futura erit indignatio, cum tam præcipitis commotionis causam nemo perspiciet. Unus, qui obtruditur, titulus, sunt febres lethales, quæ rubris pustulis contagionem nuntiant; ego tamen*

Pall. c. 146

n. 2.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

X

men

Sæcul. XVI
 A.C. 1547. men a Curionibus rescio, quod paucissimi eo morbo extinguantur: in S. Petri Paræcia, satis populo referta, ab ineunte mense non nisi duo occubuerunt, alter infans, hydropticus alter: tota in Urbe ultra quadraginta homines non ægrotant, & inter eos vix quinque ex morbo suspecto decumbunt: licet Concilio id pernoscere, aliquot Patribus destinatis, qui rem explorent: parum moveor testificatione duorum externorum Medicorum: Tridentini Medici longe aliter sentiunt, qui tametsi a Fracastorio rogati ejus sententiæ subscribere recusabant: verum utcunque est, haud licet de loco ad locum asportare Concilia, nisi Patribus in id unanimi suffragio conspirantibus, quemadmodum Jacobatius Cardinalis docebat, qui recens de Concilio scripserat. Id in præsentia non contingit, ac Patres inter se dissentiunt, nec sola voce, quæ statim obmutescit, repugnare volunt, sed scripto, quod semper loquitur, adeoque & ego meam hanc sententiam libello committere volui, ut perpetuæ posterorum memoriæ traderetur. Postremo nihil innovandum videtur, nisi perspecta prius Pontificis, ac Cæsaris mente, quos dubitandum non est, illius sacrosancti Senatus excidio nunquam consensuros.